TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

OPHTHALMIA MEMBRANARUM

COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS WHYMPER,

ANGLUS.

Ad res gerendas his tribus compellimur,
Necessitate, lege, consuetudine.

Prolegom. TERENTIANA.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

VIRO EXIMIO,

ROBERTO HOOPER, M. D.

SOCIETATIS LINNÆANÆ SOCIO,

OXONIENSI,

A COLLEGIO REGIO MEDICORUM LOND. PROBATO,

&c. &c. &c.

HAUD MINUS

VIRTUTIBUS ORNATO, QUAM REI MEDICÆ PERITO;

HOCCE TENTAMEN INAUGURALE,

ANIMO GRATISSIMO, SUMMAQUE OBSERVANTIA,

SACRAT

ALUMNUS

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

QUÆDAM DE

OPHTHALMIA MEMBRANARUM

COMPLECTENS.

GULIELMO WHYMPER Auctore.

PRÆFANDA.

SUMMOS medicinæ honores ambiturus, ideoque aliquid ad artem apollinarem attinens conscripturus, pauca de Oculi Inflammatione literis mandare statui.

Nequaquam vero in animo est hocce latissime patens argumentum penitus explorare; quod profecto limites angusti opuscula hujuscemodi conti-

 nere

nere soliti non sinunt. Consilium est de Inflammatione membranæ *Adnatæ* sive *Conjunctivæ* potissimum agere: quam quo clarius perspiciamus, haud alienum judicavi, quædam de oculi, maximeque membranæ propositæ, fabrica præfari.

Membrana *Adnata* sive *Conjunctiva*, cujus inflammationem prosecuturus sum, inter *mucosas* habenda est; quarum scilicet instar, summa cutis producta esse videtur, faciem interiorem palpebrarum, ideoque glandes Meibomianas, obducit, et, exinde reflexa, partem anticam oculi ipsius tegit; quo fit, ut *carunculam lachrymalem* vestiat, et vinculo sit, cujus ope globus ipse cum palpebris societur. *Scleroticæ* tunicæ ope membranæ cavernosæ adnectitur, tantoque arctius, quanto ad *corneam* propius accedat. Ubi huc pervenit, evanescere, nec *corneam* obtegere, nonnullis videtur; neque equidem celandum, anatomicis non licere eandem *corneæ*, ope scalpelli, subducere: porro *chemosin* frequenter *corneæ* marginem non transgredi. Iis tamen assentior, qui *conjunctivam*, pertenuem sane, *corneæ* superjacere opinantur: plura enim ejus mala totam anticam oculi faciem occupare solent:

qualia

qualia sunt *pterygium*, inflammatio ejusdem *pustularis*, et alia ejusmodi: veri porro absimile est, membranam *scleroticæ* anticæ universæ circumjectam non *corneam* quoque velare.

Membrana *conjunctiva*, jam integra, tenuis est et pellucet, nec arteriis et venis referta apparet; quippe quarum pleræque, particularum rubrarum non capaces, laticem vehunt decolorem. Hasce tamen pene innumeras esse docet inflammatio.

Arteriæ oculi duplicis sunt generis, nimirum, exteriores et profundæ: illæ arteriis palpebrarum ortæ membranæ ipsi *conjunctivæ*, ejusque appendicibus, insperguntur. Hæ vero arteria *ophthalmica* ortæ, ex *sclerotica* ad *conjunctivam* tendunt.

Membrana *conjunctiva* multis officiis perfungitur. Globum ipsum tuetur, palpebrisque annectit: cavetque ne res alienæ partem oculi posticam adeant. Quanquam inter membranas *mucosas* recensetur, atque, *ophthalmia purulenta* urgente, pus secernere videtur, haud secus atque aliæ membranæ, *mucosæ* dictæ; scire tamen licet eandem, oculo integro, nullius humoris esse se-

creticem;

creticem; at lachrymis et pituita MEIBOMIANA humectari et emolliri. TRAVERS literis mandavit, cuidam ancillæ, cui glandula *lachrymalis*, effœta quasi, proprium humorem haud unquam secreverat, membranam *conjunctivam* opacam, instar *cuticulæ*, atque rugosam esse factam.

Membrana *adnata* noxis alienis, præ sede, maxime patet. Quum porro nexu intimo cum summa cute, membranisque *mucosis*, præsertim quæ spiritus, cibique meatum obducunt, committitur; non admirandum erit, ejusdem inflammationem creberrimam esse, pluresque causas agnoscere; alias porro aliam esse, prout causæ, quæ intulerint, varient. Modo igitur inflammata *pustulas* quasi exhibet; modo pus, humoremve *muco-purulentum* secernit, haud aliter atque membrana fistularum spiritalium *catarrho* affecta: alias, pars ejus *corneæ* inspersa, membranæ *serosæ* instar, *fibrinam* effundit. Huc accedit, ejus inflammationem quam plurimum differre, prout homo sit validus an imbecillus, juventa florens an senior, habitus boni an mali; quo fit ut inflammatio, interdum levissima, non nisi ruborem et lachrymarum cursum moveat; modo in suppurationem

suppurationem acerrimam desinat. Interest quoque corpus necne tabo *Syphilidis* aut *GonorrhϾ* proprio inquinetur; unde scilicet *Ophthalmia* haud parum mutatur.

In animo est *Ophthalmiam* membranæ *adnatæ* duplicem proponere: nimirum, quæ in secretionem humoris *muco-purulenti*, necnon, quæ in suppurationem, desinit.

Illuc pertinet omnigena *adnatæ* inflammatio, cui glandes MEIBOMIANÆ incitatæ humorem vitiosum effundunt, membrana ipsa, aut simul pituitam fundente, aut non.

Huc vero attinet inflammatio, quæ facit, ut membrana ipsa puris secretrix fiat. Harum utraque acuta aut vetusta esse potest.

DE SIGNIS.

INFLAMMATIO *adnatæ muco-purulenta*, modo mitior urgeat, pedetentim et per insidias aggredi solet; nec raro equidem aliquamdiu vel ægrum ipsum latet; certeve tantulum molestiæ ciet, ut æger pene nihil conqueratur. Initio sen-

sus

sus gravitatis et plenitudinis ad oculum relatus vexat; hic simul aliquantum illachrymat; palpebræ præter solitum exardent et pruriunt, maximeque vesperi, aut si æger in conclavi tepente, et perflatus experte, habitat. *Caruncula lachrymalis* prurit atque leviter dolet, palpebræque *spasmo* subinde velluntur; quotidieque mane, pituita viscida noctu secreta, cohærent. Hæc vero ciliis affigitur, haud ægre divellenda. Hucusque membrana *adnata scleroticæ* circumjecta parum aut nihil vitiatur; neque oculus speciem insolitam sibi præfert, nisi quod imbecillus, uvidusque apparet. Quodsi palpebra inferior extrorsum vertitur, latebræ hujus mali patescunt; quæ pars enim *adnatæ* palpebræ faciem interiorem obtegit, vasis plus æquo tumefactis rubescere conspicitur. Non multo postea rubor iste universam *adnatam* permeare cœpit: oculi simul vehementius illachrymant, humorem fervidum et acriorem profusuri. Nunc demum latex tenuis subter *adnata* palpebræ propria secretus, hanc attollit, et quasi laxat. Homo dolorem sævum haud queritur, at sensu molestiæ, atque arenæ quasi, aliusve naturæ alienæ oculo inhærentis, torquetur.

Lux

Lux parum oculum offendit, nec febris accendi consuevit; eo ut æger vix medicamentis exinanientibus victuque tenui opus esse existimet. Quantulicunque hæc species *Ophthalmiæ* esse videatur, nequaquam tamen prætermitti, aut parvi haberi debet, quoties apud milites, aliosve congregatos grassatur; metuendum enim ne male curata, aut neglecta, in alterum graviusque genus *ophthalmiæ* desinat; cujus eventus plura mihi contigit exempla videre. Anno MDCCCXV^to ipse medicus militaris inflammationem propositam milites, quorum valetudini meum erat consulere, adoriri novi. Longe pluribus ægrotantium gravior ista *ophthalmia*, quæ nempe suppurationem molitur, tandem accessit. Anno MDCCCXXI^mo iterum tres legiones invasit: perpauci tamen hac acerbiori inflammatione laborabant. Trecenti circiter milites, utroque annorum dictorum, in *ophthalmiam* incidebant; pluresque causæ loci, cœli, tempestatisque propriæ haud parum morbi naturam regebant et mutabant. Tabum pestilens excitasse nullus dubito. Hæc tamen inflammatio, vel mitiori habitu donata, sæpe notis gravioribus quam quæ jam retu-

li,

li, denunciatur. Membrana *conjunctiva*, quæ *scleroticam* obducit, multo citius vehementiusque rubescere observatur: oculus lucis magis impatiens est, acutiusque dolet; quamquam confiteri oportet hæc signa nunquam insigniter sævire, modo laxior pars membranæ *conjunctivæ* unica inflammetur. Ingens copia lachrymarum ardentiorum secernitur. Latex infra *conjunctivam* profusus eam attollit circa *corneam*, palpebræque aliquantum aqua intercute tument. Quamvis uterque oculorum laborat, haud tamen utrique eadem notæ contingunt; at alter prius inflammari cœpit. Die quinto, sexto, septimo vel octavo post inceptam inflammationem, oculus prius affectus ad sanitatem spectat: tunc temporis *conjunctiva* plus secernit pituitæ, unde vasa tumefacta expediuntur, tumor evanescit, partesque affectæ paulatim redintegrantur.

Aliquando, rarius sane, hæc inflammatio in tantum exardet, ut pus ipsum secernatur; nec solum notæ jam descriptæ incitatissimæ vexant, sed aliæ jam enunciandæ accedunt: nimirum SPECIES ista secunda, de qua supra memini, constituitur.

Ophthalmia

Ophthalmia *Conjunctivæ purulenta* est id genus inflammationis, quod undecunque gignatur, facit, ut ea membrana pus ipsum secernat. Nunquam non pestilens est; acerrimumque medici studium, atque præsentissima auxilia, desiderat. Huc attinet *Ophthalmia purulenta* infantibus infesta, *Ophthalmia gonorrhœalis*, necnon Ægyptiaca, militibus Britannicis olim exitiosissima.

DE SIGNIS INFLAMMATIONIS ADNATÆ PURULENTÆ.

Palpebra inferior, prima omnium partium tentari cœpit, haud secus atque altero inflammationis genere urgente. Scilicet, membràna ejus interior pituitam viscidam secernit, simulque rubore saturo floret, qui sensim per *adnatam scleroticæ* propriam serpit ad *corneæ* marginem usque. Oculus hebetior quasi riget; nec vero multum dolet; fortasse quod vasa *adnatæ*, (laxissimo nexu cum *sclerotica* et palpebra commissæ citra molestiam magnam tumefieri possunt.

Sensus corporis alieni oculo inhærentis potissimum torquet, qui modo quiescit, vesperique ingravescit. Oculi nunc admodum illachrymant, humorque flavus, id est pus, effluit, lachrymis mistus. *Chemosis* accedit, latice nempe subter *adnata*, ubi *scleroticam* tegit, profuso: palpebræque quam maxime aqua intercute turgent; quo fit, ut oculus penitus veletur. Nunc demum uterque oculorum laborat; tam arcto enim nexu inter se sociantur, ut alter, altero integro, tanta mala perpeti nequeat. Brevi sequuntur signa cruciantissima. Palpebræ insigniter tumefactæ pus effluere non sinunt: quod collectum et acrius factum ægre exit, et stillat, genas inquinaturum. Dolor quæsitissimus exinde accenditur, qui modo remissior, modo impatibilis fit. Hinc febris, dolor capitis, aliaque valetudinis perturbatæ indicia enascuntur. Ni demum medicus præsentissimis remediis usus summa ope obnitatur, oculi fabrica penitus diruatur necesse est. Interdum facies exterior *corneæ* exulceratur: alia sinterior, ubi inflammatio altius serpserit. Oculus distentus subito diruptus dolorem istum cruciantissimum ex improviso tollit. Æger tamen minus febricitat,

quam

quam aliis malis permultis dolorem vehementem molientibus implicatus. Uno oculorum sic expedito, alterius inflammatio fere increscit, in eundem fere exitum abitura. Doloris vero accessiones vel postea redire solent, quam diruptio evenerit; eo quod inflammatio oculi penetralia invaserit: nec raro, non nisi multis hebdomadis exactis, tandem inclinari incipiunt. Denuo palpebræ detumescunt, soluta et flaccentia; ne multa, inflammatio fit vestusta, sive *chronica.*

Inflammatio purulenta *conjunctivæ* gravior, jam descripta, rarius nostrates aggreditur, dummodo medicus ineuntem mitiorem rite et tempestive curaverit. Præcipuæ ejus notæ triplicem causam agnoscunt, nimirum, partim ad inflammationem non acriter debellatam referendæ sunt; partim ad serum effusum sive aquam intercutem, unde palpebræ intumescunt; partim ad lympham secretam, qua continetur *chemosis.* Huc accedit vasa producta sive longiora facta, speciem istam *villosam* constituere, quæ pus effusum comitatur, et demum, superficiem spongiosam et granatam inferre, quæ pertinacissimam hujus morbi formam

arguit;

arguit; unde porro nebulæ, aliaque vitia vetustæ inflammationis propria, oriuntur.

Accessiones doloris sæviores, inflammatione jam acuta, malum ad *corneam* pertinere cœpisse testantur; quæ, scilicet inflammata dolorem semper ingentem ciet. Inflammationem *conjunctivæ strumosam* infantum propriam denuntiant dolor, oculus irritabilior, lucisque impatiens, membrana ipsa haud valde rubente: sæpe *pustulæ aphthosæ corneæ* margines occupant. Siquidem hoc genus *ophthalmiæ* meatui alimenti perturbato fere debetur, non mirandum est, quod lingua sordet, cutis inarescit, et æger febricitat.

Quinetiam, adulti sæpe inflammatione *aphthosa conjunctivæ*, ubi *scleroticam* et *corneam* obducit, vexantur. *Pustulæ*, quod ad figuram, conos plus minusve referunt. Interdum *aphthæ* cingunt *corneam*, iis haud absimiles, quæ fauces male habere solent. Inflammatio minus incitata hasce notas fere comitatur.

Ophthalmia gonorrhœalis, quæ nempe tabo pestilente *gonorrhœa* orto, admoto progignitur, si *conjunctivam* unicam invadit, signis supra narratis

narratis *ophthalmiæ purulentæ* stipatur; nisi quod palpebræ minus aqua intercute tument, etiamsi *chemosis* pariter vexat. VETCH, medicus spectatissimus, contendit hoc genus *ophthalmiæ* potius ad *scleroticam* quam *conjunctivam* initio transferri. Idem auctor hanc inflammationem tabo *gonorrhϾ* proprio insito enasci negat: contenditque hæc duo mala inter se persæpe sociari, potius ob aliquam corporis proprietatem; quæ facit ut inflammatio ab urinæ canali ad oculum transferatur. (Vide VETCH, *Diseases of the Eye*, p. 243, et seq.) Cui assensus existimo hoc genus *ophthalmiæ scleroticæ* potissimum inhærere; quod profecto docent oculus irritabilior, lucisque parum tolerans, palpebræ minus, ipse oculus vehementius affecta.

Meminisse juvat, qui inflammatione *conjunctivæ* jam vexati revalescere inceperint, eos frequenter et facile in eandem recidere: nec minus periclitari quam antea, renascente morbo.

DE FINIBUS.

In animo est iis præsertim eventibus *ophthalmiæ purulentæ* insistere, qui membranam *conjunctivam* male habent; et quibus eadem vetusta sive *chronica* continetur. Ex his quidam ad *corneæ*, alii ad *scleroticæ* partem propriam attinent. Fieri potest, ut *cornea* pus aut lympham laminis interjectam habeat; quod malum *albugo* nominatur; vel ut pus humore aqueo misceatur, quod *hypopion* medici nuncupant. Modo, *cornea* exulcerata, humor aqueus effunditur, *iris*que prolabitur, *staphylomate iridis* facto: vel emissis lente *chrystallina* et humore vitreo, fabrica oculi penitus dirui potest. Tanta mala ex inflammatione membranæ *adnatæ* non rite curata oriuntur; unde scilicet inflammatio *scleroticæ*, eorum recta genetrix, accenditur.

Id vitium, cui nomen *nebula*, *conjunctivæ* parti *corneæ* propriæ insidet; et *ophthalmiæ* ejus

inveteratæ

inveteratæ est effectus. Initio vasa amplificata inter *conjunctivam* et *scleroticam* sita hanc universam rubere faciunt; quæ deinde producta ad alteram *conjunctivæ* partem, quæ *corneam* obducit, pertinent; ibi lympham opacam et glutinosam secretura. Hac vero continetur nebula; quæ *cornea* obscuranda, lucis aditum quodammodo impedit. *Nebula* igitur, secus atque *albugo*, non laminis *corneæ* interjicitur, ut ei ipsi superjacet.

Quod ad partem *conjunctivæ*, quæ palpebram tegit, hæc frequenter, *ophthalmia purulenta* vel leviori prægressa, speciem granatam sibi præfert; id est, ejus vasa instar villorum producta, faciem istam asperam, quam retuli, inferunt; simulque humorem viscidum et purulentum secernunt. Interdum facies palpebræ interior asperrima, inæqualis, et crassior fit; ita ut palpebra extrudatur; imo vero aliquando tantum *corneam* exasperat, ut ejusdem inflammationem gravem eventus plures et exitiosos habituram moveat. Hoc vitium palpebrarum inter notarum præcipuas *ophthalmiæ* jam inveterascentis habendum est: scire-

que

que licet oculi integritatem futuram eo rite curato potissimum niti.

Pterygium conjunctivæ, quæ *scleroticam* tegit, inflammatæ debetur. Hoc vitium constat ex parte ejus membranæ angulo interiori oculi proxima crassiori, spongiosa, vasisque tumefactis rubriori, quæ triangulum figura refert, *corneam*que transcurrit, eam opacat, et impedit quo minus lux adeat. Tanto fit angustior, quanto propius ad *corneam* accedat, id est, triangula est, quod ibi membrana *conjunctiva* nexu firmiori cum subjectis committitur; ideoque progressui vasorum ampliatorum occurritur. Denique, nosse juvat, hanc partem vitiosam *conjunctivæ*, quæ *pterygium* nominatur, quam laxissimam facile ministerio forcipis divelli.

DE CAUSIS ABDITIS.

Usus jamdudum edocuit, mares juventa et viribus florentes, validos sanguineque plenos, præ mulieribus et senio confectis in inflammationem membranæ *conjunctivæ* acutam incidere solitos

esse :

esse: infantes porro omnium opportunissimos esse: necnon, habitu sanguineo, cæsarie rufa, vultu roseo, oculisque cœruleis donatos, maxime esse propensos, LARREY, inter disserendum de *ophthalmia Ægyptiaca* jam dicta, satis comprobavit. Huic auctori assensus, opinor longe frequentius dextrum oculum prius inflammationem pati, etiamsi uterque demum, serius ocyus, laboret. Cur ita se hæc res habeat, expositu paulo difficilius est. Nonne simile est veri, oculum dextrum prius sæpiusque inflammatione conflictari, ex eo quod, cæteris paribus, sanguis impetu fortiori ad arterias capitis dexteriores, quam ad sinisteriores impellitur; siquidem arteria *innominata, carotidis* dextræ genitrix, ventriculo lævo propinquior est, quam *carotis* sinistra.

DE CAUSIS EVIDENTIBUS.

OPHTHALMIÆ, cum aliis inflammationibus communes sunt multæ causæ excitantes. Duabus tamen potissimum insistendum judico: nimirum, proprio cœli habitui, necnon contagioni: ex

 his

his enim genera duo inflammationis membranæ *conjunctivæ*, quæ prosequor, enasci solent. Haud ignoro, nuperos quosdam hæc prorsus inter se diversa et disparia existimare: perspectis tamen huc attinentibus, quæ inter ægros curandos didici, mihimet persuadeo, hæc duo mala non nisi vi invicem discrepare: inflammationem scilicet mitiorem efficere ut humor *muco-purulentus* secernatur; eandem acerbiorem ideoque latius altiusque diffundendam, in suppurationem abire; nempe purulentam fieri. Prorsusque CULLENO, medicorum principi, assentior; qui luculenter meminit modo *conjunctivam* unicam inflammari, modo subjectas membranas mali participes esse, prout causæ abditæ et evidentes inflammationem leviorem aut acriorem progenuerint.

Cœlum tepidum et humidum frequenter *ophthalmiam catarrhalem mucosam* ciet, quæ toties vulgaris apud ACADEMIAS et milites congregatos grassatur, ut jure pestilens habenda sit. Neque ullus dubito, quin *ophthalmia conjunctivæ* mitissima suo tabo pestilente disseminari possit. Æstate proxima mihi contigit legionem militarem novisse, quæ in eam incidit, simul atque ca-

sas

sas adierit, ab alia legione *ophthalmia* vexata nuper relictas. Centum circiter milites brevi ægrotabant, quibus inflammatio levissima erat; nimirum, membrana *conjunctiva* paululum rubebat, lachrymæque et pituita viscida palpebras invicem noctu conglutinatura, profluebant. Hæc vero concreta et friabilis facta ciliis adhærebat: in pulveremque, oculo fricato, et moto, redacta late dispergebatur, eandem inflammationem, uti existimo, cum aliis communicatura. Hæc inflammatio, ægris a sanis disjunctis, cito debellata est.

Humorem, *ophthalmia purulenta* urgente, secretum pestilentem esse conjicio: huc porro plures causæ operam conferre videntur; quales sunt aër humidus, conclavia parum spatiosa, perflatus egena, et multitudine ingente hominum inquinata: necnon vigilia nocturna. LARREY, quod ad *ophthalmiam Ægyptiacam*, in eandem sententiam jurare videtur: cui assentitur VETCH.

Contagium tamen cæteris causis longe præpollet. Hæ profecto utrumque genus inflammationis membranæ *conjunctivæ* initio moliuntur: at postea inflammatio contagio sui simili vulgaris grassatur; atque, plus vel minus, pro ægrorum situ.

Simul

Simul atque inflammatio vetusta facta pus viscidum effundi fecerit, multo minus contagiosa fieri solet: nec vero medicum in ipsis curationibus versatum, ideo non summa ope ejus cursui tunc occurrere oportebit. Novi sane milites hac inflammatione vetusta implicatos, quotidie sanis interesse, non exinde afficiendis. Quo tempore profecto humor ab oculo secretus pestilens fieri incipiat, vel quousque CONTACTU, opus sit, ad eum dispergendum, dictu est difficile; probabile est, hunc morbum mitiorem non, nisi auxiliantibus aëre humido et tepido, conclavique perflatus experte, contagiosum esse.

Patet ex jam dictis, quam primum opus esse ægros integris sejungere, et ad loca cœlo sicco, salubri et puro prædita traducere; subducendi quoque omnigeni fomites, nempe, vestimenta, &c. quibus tabum adhæreat.

OPHTHALMIAM passu celerrimo jam grassantem bis ita debellari cognovi.

Medicum quoque oportet, adhuc integris, qui ægris interessc consuerunt, acriter et crebro oculos, eversis palpebris, inspicere, quo jam ineuntis mali notæ observentur, et præsentibus præsidiis

arceantur.

arceantur. Qua curatione sedulo adhibita vix, aut ne vix quidem, *ophthalmia purulenta* pessima forma instructa, nostrates adoriri poterit.

DE CURATIONE.

OPHTHALMIA jam acuta, sive sit *muco-purulenta*, sive *purulenta*, omnia ea remedia postulat, quæ cæteras inflammationes acutas debellare solent. Siquid alienum oculum inierit, subduci debet ope forficis, penicilli mollis aut liquoris emollientis: siquidem calor et lux multum irritant, habitandum in conclavi spatioso, haud perflatus experte et umbroso; oculi velandi sunt panno serico viridi; quod si *ophthalmia* mitior sit, non opus est oculum umbrare et velare; inflammatio perflatui oculoque subinde foto cedit; quæ curatio magis convenit, quam oculum refrigerantibus liquoribus lavare. Quidam jubent stimulantia fortiora oculo admoveri; quippe quæ actionem tabi pestilentis *specificam* debellant. Liquor *acetatis plumbi* satis respondebit.

Victus e tenuissima materia præstabit; atque evitandi potus omnes meraciores. Si dolor, rubor,

bor, aliæ notæ graviores urgeant, venas partis vacuefacere opus erit, aut hirudinibus, aut cucurbitulis cruentis quam proxime oculum impositis. Conjicio tamen inflammationem longe melius et magis sedari incisa arteria *temporali.* WARE hirudines palpebris admoveri non-vult; quas scilicet aliquando exinde tumefieri, eoque inflammationem et irritationem increscere, contendit.

Quando inflammatio gravior penetralibus oculi instat vel insidet, et dolor quæsitior crebro accedit, venis amplissime vacuefactis, soli pene auxilio fidendum. Permagni quoque interest, ut incisura latior sanguinem subito effluere sinat; moles enim exigua derepente missa, eo ut anima deficiat, plus ad inflammationem vincendam operæ confert, quam rivus uberior tarde elicitus; neque vires exinde dilabuntur. Dolor vehemens oculo distento ortus, statim humore aquoso arte aducto consopitur, quod WARDROP edocuit. Quoniam tumor palpebrarum, præsertim inferioris, sæpe *chemosi* accedit, quidam hasce scarificandas opinantur; at vero notare licet, prius aliis remediis, jam relatis utendum. Si porro vasa tunicæ *conjunctivæ* valde turgeant, subinde ea scarificare

proderit;

proderit; at non nisi inflammatione aliunde jam sedata. Quum alvus fere torpet, et eadem pigra facit, ut humores ad caput impetu majori deferantur, eam medicamentis expurgare, liquoribusque idoneis infusis ducere, nunquam non admodum proderit: non solum enim sanguis ita deorsum fertur, (quod vultus sumptis medicamentis hujusmodi cito pallescens denuntiat), verum insuper arteriis intestini secreticibus incitatis, moles humorum circumeuntium imminuitur. Plerumque satis erit sales medios ingerere; nempe *Sulphas Magnesiæ* sive *Tartras Potassæ et Sodæ;* quod si alvus pigrior exerceat, antea bene ministratur *Submurias Hydrargyri*, pulvere *Convolvuli Jalapæ* composito mistum. Si dolor capitis torqueat, oportebit idem ad cutem tondere, et *decocto capsularum Papaveris somniferi* fovere. Si porro, *Ophthalmia purulenta* vexante, palpebræ insigniter tument, fotus multum opitulabuntur. Parum inter medicos convenit, oculus calidis admotis rite foveatur, necne; quantum usu ipse comperi, maxime inflammatione acuta vexante, proficiunt; eadem vetusta, nocent. Liquor *Acetatis Plumbi, infusum Nicotianæ Tabaci,*

vel

vel *Atropæ Belladonnæ*, puris fluxum supprimit, et dolorem sedat.

Emplastra Meloes vesicatorii, palpebris tumefactis, omnibus aliis remediis præpollent; nec vero hoc signo deficiente, juxta oculum admovenda videntur. SCARPA, vir summæ auctoritatis, profitetur, eadem cervicibus posticis admovenda esse; metuendum enim ne temporibus imposita, inflammationem *erythematicam*, ad oculum spargendam, moveant.

Ubi inflammatio vetusta esse cœperit, oculus lavandus erit liquoribus astringentibus; quales sunt *Acetas Plumbi* vel *Acetas Zinci*, vel *Sulphas Zinci* aqua solutum.

Medici haud parum inter se discrepuere de curatione *Ophthalmiæ* vetustæ, ubi membrana *conjunctiva* speciem sibi induit GRANATUM jam descriptam. Quidam hucusque forcipe aut scalpello utuntur. Usus tamen comprobavit cicatrices duras et inæquales exinde *conjunctivæ* superesse; longeque satius esse exurentibus uti; quippe quæ multo citius et melius membranam ad integritatem reducunt; optima sunt *Nitras Argenti*, et *Sulphas Cupri*.

Quoque

Quoque irritatio nunc optime sedabitur *tinctura Opii vinosa*, vel *narcoticis* jam dictis, oculi adhibitis.

Inter astringentia fortiora, interdum utilia, præsertim memoranda sunt *Super-Sulphas Argillæ et Potassæ, Murias*que *Hydrargyri*. Hoc interdum NEBULAS tollit.

Si palpebræ concrescunt, adeps *Suis scrofæ*, unguentum *Oxydi Zinci* impuri, vel *Carbonatis Zinci* impuri, proficient.

Si *Ectropion* accedit, palpebra arte attollenda est, et fulcienda, ope *emplastri* idonei. Lympha secreta sensim resorpta evanescit, et musculus *orbicularis* redintegrabitur.

Si humor aquosus opacus sit, vel pus anticæ ejus parti insit, quidam, *cornea* incisa, eundem effundi faciunt. Satius est tamen vasa absorbentia remediis idoneis ciere, jam devicta inflammatione. *Cornea* incisa, inflammatio acuta sæpe renovatur, *iris*que prolabitur. Quod si oculus perquam turgeat, et inde graviter doleat, *corneam* incidere oportebit.

Si *nebulæ Ophthalmiam* sequuntur, non obstantibus remediis jam propositis, oportebit vasa,

D quorum

quorum ope *nebulæ* aluntur, persecare, vel exurentibus delere.

Quod si *albugo* supervenit, efficiendum est stimulantibus admotis, ut lympha opaca resorbeatur. Huc spectabit unguentum *Oxydi rubri Hydrargyri*, vel liquor *Muriatis Hydrargyri*. *Subacetati Cupri* fisus est SCARPA. Quod si *nebulæ* inveteraverint, ad alia confugiendum, nimirum vitrum in pulverem subtilissimum redactum; vel *Super-Sulphas Argillæ et Potassæ* exsiccatum, saccharo mistum. Alii usi sunt liquore *Nitratis Argenti*, sive *Ammoniareti Cupri*.

Pterygium recens facile scalpello et forcipi cedit; quæ, quomodo adhiberi debeant, SCARPA luculenter tradidit.

FINIS.